



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

2. An Christus secundo venturus sit ad vnituersale iudicium peragendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

gitandum. Non enim iudicabit per semetipsum ille antiquus dierum: sed ut ipse Dominus dixit, Omne iudicium dedit filio: hoc ergo prophetica visio (inquit) lucido satis ostendit testimonio. Et eadem est sententia Hieron. & Theodoret in eundem locum. Rationes, propter quas supra diximus, datam esse Christo potestatem iudicariam, maxime probant de hoc vniuersali iudicio, tam ex parte hominum iudicandorum, nimirum ut videre possint, & audire suum iudicem: quam ex parte ipsius Christi, cui innumeris titulis supra expositis hoc munus debetur: cuius etiam victoriam, & iustitiam in illo celebri confesso, & conspectu manifestari deuit.

Hieron.
Theod.

Occurrebat autem hoc loco explicandum, quàm vniuersale sit futurum hoc iudicium. Id enim, & ad complementum huius quæstionis, & ad soluendum hæreticorum fundamentum conferret: tamè quia hoc spectat ad disputationem penultimam huius materiae, vbi de forma huius iudicii, & de personis iudicandis agendum est, ideo nunc breuiter dicitur ad hæreticorum fundamentum, tam fideles, quam infideles esse iudicandos saltem iudicio retributionis, vel damnationis, licet de iudicio discussionis, forte dictum sit, qui non credunt, eos iam esse iudicatos. Quia apud Deum iam est prolata eorum sententia, quamuis nondum sit exterius pronuntiata, ut Augustin. exponit tract. 12. Ad aliud ex Nahum. 1. recte D. Thom. exponit. Deum non iudicare bis de eodem secundum eandem rationem: secus vero secundum rationes diuersas. Quod est dicere Deum non iudicare bis, ut priorem sententiam mutet, vel ut bis puniat: posse tamen bis iudicare, ut & suppleat quidquid ex debita pena deerat, & conuenienti modo sententiam proferat in eum qui peccauit, qui prius non omnino, sed quasi ex parte tantum iudicatus fuerat. Ex quo patet responsio ad aliam congruentiam de iudicio corporum. Non enim iudicatur corpus per se: sed ut pars totius compositi, sicut in probationibus primæ conclusionis insinuatum est.

August.
D. Thom.

SECTIO II.

An Christus secundo venturus sit in hunc mundum ad vniuersale iudicium peragendum.

Quamuis dictum sit, Christum futurum iudicem in hoc iudicio: non tamen hinc necessario fit venturum esse ad hoc munus obeundum. Potuisset enim in celo manens sententiam proferre, & idcirco specialem hoc inuestigationem requirit. In qua simul refellendus erit Iudeorum error, qui, sicut de primo Messia aduentu increduli sunt, ita non possunt circa secundum non errare. Nam sicut dixit Augustinus Epistola octuagesima ad Hefychiū, & Lactantius libro quarto, cap. 12. Qui aduentum Domini primum non cognouerit, preparare se non poterit ad secundum, credendo in eum: Iudæi igitur neutrum credunt, sed quendam alium fingunt, quin nunquā futurus est, mere humanum ad temporale regnum obtinendum. Refertur etiam hic potest error, quem indicat Orig. tract. 34. in Matth. vbi sentit, secundū Christi aduentum non futurum esse corporalem, sed per solam manifestationem spiritualem, quæ fiet in mentibus omnium iudicandorum. Quæ sententia est, & contra proprietatem Scripturæ, & contra Ecclesiæ sensum.

August.
Lactant.

Igitur Catholica fides vnum Christi aduentum agnoscit iam factum, & alium confitetur futurum. In quo Christus Deus homo verè, ac realiter veniet de celo ad terram ad vniuersale iudicium peragendum. Hic est articulus fidei, quem illis verbis Symboli profitemur. *Inde venturus est iudicare viuos &*

Symbol.

A mortuos. Qui ex nouo testamento facile probari potest. Ut autem simul Iudæos conuincamus, oportet afferre veteris testamenti, & prophetarum oracula, quibus hi duo Messia aduentus necessario conuincuntur: quorum conuenientias, & discrimina varia ex scripturis colligendo, veritatem propositam apertius confirmabimus, & occasionem errandi Iudæorum melius detegemus.

Primo ergo statuendum est, omnia testimonia Scripturæ, quæ de aduentu Messia loquuntur, ad eandem personam esse referenda, in quo etiam Iudæi nobiscum conueniunt. Quia, sicut in nouo testamento vnum tantum agnoscimus Redemptorē ac mediatorem: ita in veteri vnus est tantum Messias promissus, ut in princip. prioris tom. la. ostendimus.

Secundo hinc oritur alia conuenientia, scilicet quod is qui aduenit in vtroque aduentu est Deus & homo. Quod quidē de priori aduentu late probatum est in prædicto loco, & hinc sequitur, idem est dicendum de secundo, cum eadem sit persona, quæ venit. Sed vterius probari potest proprijs Scripturæ testimonijs. Quod enim Dominus ipse venturus sit ad iudicandum, docuit Isa. c. 3. dicens. Dominus ad iudicandum veniet cum senibus populi sui, & cum principibus eius. Habet autem varias expositiones hic locus. A quibusdam enim exponitur non actiue sed passiue, scilicet, quod Dominus veniet, non ut iudicet, sed ut iudicetur: & refertur ad primum aduentum & ad iudicium, quod Christus subinit sub Pontio Pilato. Ita Terrul. lib. de Resur. carnis ca. 20. & lib. 4. contra Marcion. c. 24. & Rufinus in expos. symbol. Alii verò actiue interpretando, Deum iudicaturum, explicant de iudicio Diuino, quod in Iudæos prolatum est, & executioni mandatum, quando à Romanis pene extincti sunt, ut exponit latè Iustinus dial. cum Tryphone. A qua expositione non multum quoque discrepant Hieron. & Cyril. qui in genere de iudicio diuino aduersus principes Iudeorum & Phariseos interpretantur. Nihilominus tamen satis accommodare intelligitur de iudicio finali, ut ibi Basilii interpretatur, & Gregor. lib. 1. in Ezech. hom. 9. apertius Aug. Enarrat. in Psal. 49. quod de hoc aduentu intelligit, circa illa verba, Deus manifeste veniet, Deus noster & non silebit. Quo testimonio etiam in præsentem vti possumus. Cui simile est illud Isa. 66. Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius, reddere in indignatione furorē suum increpationem suam in flamma ignis, quia in igne Dominus diiudicabit. Quæ verba sunt tam aperta, tamque consentanea ijs, quæ de aduentu ad iudicium in Euangelio dicuntur, ut omnium patrum consensu de illo explicantur, ut patet ex Hieron. Cyril. lib. & August. 20. de ciuit. cap. 21. & Cyr. lib. de bono patientiæ prope finem: denique Psalmus etiam 96. de hoc aduentu recte exponitur, & tamen in illo dicitur, Dominus altissimus super omnem terram, & super omnes Deos: de quo prius dictum fuerat: Nubes, & caligo in circuitu eius iustitia, & iudicium preparatio sedis eius, Ignis ante ipsum præcedet, &c. Et ita videtur exponere Paul. ad Hebr. 1. illis verbis. Et iterum cum introducit primogenitum in orbem terrarum, dicit, & adorent eum omnes angeli eius. Alludit enim ad illa verba huius Psalmi. Adorate eum omnes Angeli eius. Constat igitur Deum esse, qui venturus est. Quod autem etiam sit homo, dixit Daniel c. 7. illis verbis. Ecce cum nubibus caeli quasi filius hominis veniebat. Quibus consentanea sunt verba sepe repetita à Christo in Euang. Matth. 13. 16. 19. & 26. Amodo videbitis filium hominis venientē in nubibus caeli.

Terrulian.
Ruffin.

Iustin.
Hieron.
Cyril.

Basil.
Greg. 9.
August.

Isai. 66.

Hieron.
Cyril.
August.
Psal. 96.

Hebr. 1.

Dan. 7.

Matth. 16. 19. & 26.

Tertia similitudo, & conuenientia huic affinis est, quod vterque aduentus futurus est per veram, & corporalem præsentiam CHRISTI. De hoc nulla nobis est controuersia cum Iudæis. Quia illi loca omnia veteris testamenti, quæ sunt de aduentu Messia,

Messia intelligunt de visibili, & corporali aduentu quem vnum tantum futurum esse existimant. Nos autem idem de duobus confitemur. Et de primo quidem id satis constat ex ijs, quae haecenus diximus de vita, & conuersatione Christi Domini, & de veritate corporis, & humanitatis eius in priori tomo. De secundo vero id constat ex omnibus locis Evangelij, in quibus describitur aduentus Christi ad iudicium, ita ut ab omnibus tum bonis, tum etiam malis sensibilibus conspici possit, iuxta illud Matth. 26. Videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus caeli. Et illud Apocalyp. 1. Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et hoc modo colligitur idem potest ex illo Zach. 12. Aspicient ad me, quem confixerunt. Nam illum locum de die iudicii interpretantur Theodoretus, Rupertus, & alij ibi, ubi etiam Hieronymus idem indicat, & clarius Augustinus 20. de Ciuitat. cap. 30. & lib. 1. de Trinit. cap. 13. Quam expositionem doctè ibi comprobatur Franciscus Ribera, nec minus eruditè Franciscus Toletus Ioan. 19. aduertit, in illis duobus verbis duos Christi aduentus significari, primum in carne mortali in verbo, transfixerunt: secundum gloriosum in verbo, videbunt. Nam Iudaei, qui Christum crucifixerunt, nunquam eum amplius viderunt, neque vsque ad secundum aduentum videbunt.

Quarto conueniunt, quia vterque aduentus est admirabilis, supernaturalis, ac Deo dignus. De primo satis constat ex ijs, quae de mysterio Incarnationis haecenus tractata sunt. Et satis comprobatur ex illo Agg. 2. Ego commouebo caelum, & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus. Quem locum intelligendum esse de priori aduentu, in primo tomo demonstrauimus. Et iuxta probabiliorē sententiam de eodem loquitur Malac. cap. 3. quamuis in magna gloria, & maiestate illum describat. Propter quod multis visum est de secundo aduentu esse loquutum, non considerantibus hanc similitudinem, de qua agimus, ratione cuius vterque potest describi in maiestate, & virtute, quamuis diuerso modo, vt postea dicam. Nam, quod posterior aduentus futurus etiam sit admirabilis, & gloriosus, inferius latè differendum est, & ex testimonijs paulo ante citatis constare satis potest, quamquam nulla probatio necessaria sit, cum hoc neque à Iudaeis negetur.

Quinta conuenientia excogitari potest, quod vterque aduentus est ad bonum, salutemque hominum. De primo satis id constat ex superiori tomo. De secundo vero id testatur est Christus Luc. 21. ubi agens de secundo aduentu suo, ait, Surgite, & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Quam enim ipse in suo primo aduentu sufficienter operatus est, tunc habebit in electis vltimum, ac desideratum effectum, de quo dixit Paul. ad Roman. 8. Nos ipsi primitias spiritus habentes, & impli intrans gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri. Quamuis enim hic aduentus Christi multis futurus sit in penam, & damnationem: tamen primaria ac praecipue fit propter salutem, & gloriam bonorum. Nam haec est per se, & ex propria Dei voluntate intentio: alia vero sunt tantum permessa, & ex malitia hominum conuersa. Et ideo Ioann. 14. Christus consolabatur Apostolos & in eis omnes iustos dicens, Vado parare vobis locum, & si abiero, & preparauero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. Vbi aperte loquitur de hoc secundo aduentu, & de illius fructu. Et de eodem loquebatur Paul. cum dicebat ad Philipp. 1. Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, &c. Et apertius ad Titum 2. Expectantes beatam spem, & aduentum gloriae magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, &c. 1. ad Corinth. 1. Ita vt nihil vobis

desit in vlla gratia expectantibus reuelationem Domini nostri Iesu Christi, qui & confirmabit vos vsque in finem sine crimine in die aduentus Domini nostri Iesu Christi. Et apertissime ad Hebr. 9. vterque aduentus describitur, Christus semel oblatum est ad multorum exhaustiua peccata: secundo sine peccato apparebit expectantibus se in salutem. Ac denique propter hanc causam rectè dicunt Sancti Irenaeus libr. 2. contra haeres. capit. 62. & Gregorius in id Cantic. Flores apparuerunt in terra nostra: expleto numero praedestinatorum futurum secundum Christi aduentum, iuxta illud Apocalyp. 6. Dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conferui eorum. Nam cum hic Christi aduentus propter bonorum gloriam praecipue futurus sit, expleto illo numero quem Deus praedefiniuit, non est, quod amplius expectetur.

Sexta conuenientia praecedenti non dissimilis, adiungi potest, quod Christus in vtroque aduentu venturus est, vt sibi regnum comparet. Nam de primo scriptum est apud Daniele, lapidem paruum, qui de monte abscessus est sine manibus percussisse statum, & contriuisse, ac comminuisse regna huius mundi, & creuisse in montem magnum, ac vniuersam terram impleuisse, regnumque comparasse, quod in aeternum non dissipabitur, & alteri populo non tradetur, comminuet autem, & consumet vniuersam regna haec, & ipsum stabit in aeternum. Quae scripta esse de Christo, & primo eius aduentu certius est, quam vt noua probatione indigeat. Nomine enim lapidis Christus in scriptura significari solet, Psalm. 117. Lapidem quem reprobauerunt aedificantes. 1. Sai. 28. Mirram in fundamentis Sion lapidem probatum, Zachar. 3. super lapidem vnum septem oculi sunt. Dicitur autem lapis abscessus à monte sine manibus, propter natiuitatem eius ex Virgine, vt in superioribus exposuimus. Vnde constat sermonem esse de eius primo aduentu: quocirca appellatur lapis paruum, tum propter aetatem infantilem, tum etiam propter humilem, & pauperem vitam, vt postea dicam. Hic ergo lapis paruum dicitur creuisse in montem magnum, & omnia occupasse, quia aduentu suo aeternum regnum sibi comparauit, iuxta illud Luc. 1. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David Patris eius, & regnabit in domo Iacob in aeternum. De quo regno dixit ipse Christus. Data est mihi omnis potestas in caelo, & in terra Et Regnum meum non est de hoc mundo. Et illud confessus est latro Luc. 23. dicens, Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum. Hoc enim regnum (vt alibi latius explicuimus) non temporaliter, sed spiritualiter intelligendum est. Nihil n. est aliud, quam regnum Ecclesiae, vel triumphantis in caelo, vel in terra militantis. Vnde quia in primo aduentu non perfectè, & omni ex parte Christus hoc regnum obtinuit, neque de hostibus suis visibiliter, ac manifeste triumphauit, ideo etiam in secundo veniet obtenturus plenam ac completam proprietatem, & possessionem huius regni non solum spiritualem, sed etiam quodammodo corporalem, & visibilem, ac extremam, sicut scribitur Daniel 7. de illo filio hominis, qui iudicium facturus est, Dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, Tribus, & linguae ipsi seruiunt. Haec igitur sunt, & aliae facili excogitari possunt similitudines, & conuenientiae inter vtrunque aduentum, vt quod vterque dicitur futurus in nouissimo tempore, & ante vtrumque fuerunt mittendi praecursores ac prophetae, & alij similes, ob quas errarunt Iudaei hos duos aduentus confundentes, & ideo oportet etiam diligenter discrimina adnotare, vt rei veritas constet.

Prima igitur differentia sit, quae in ipsis nominibus primi, & secundi aduentus continetur, scilicet, quod vnus futurus fuit tempore, ac duratione prior altero. Propter hanc enim rationem vnus vocatur primus

Hebr. 9. & alter secundus, quod in testamento nouo satis expressum est, ut patet ex citato loco ad Hebr. 9. & ex omnibus alijs locis, in quibus dicimur expectare aduentum Domini, quem necesse est fore secundum, cum Messiam iam venisse credamus: & hoc sit veluti primum noui testamenti fundamentum. Ex veteri autem testamento probari potest. Quia quidam Christi aduentus promittitur futurus in fine mundi, ut patet ex Malach. 4. *Ecce enim dies veniet* scilicet, &c. Vbi dies iudicii, & aduentus domini ad illud describitur, & in eo dicuntur omnia consummanda, & faciendam aeternam separationem malorum, & bonorum. Et ex ijs, quae postea dicemus de tempore vniuersalis iudicii, & de signis, quae illud praecedent hoc apertius constabit. At vero etiam in testamento veteri praedicitur aduentus Messiae multo ante consummationem saeculi, ut patet ex praedictione Danielis de septuaginta hebdomadibus, & ex eo, quod post illum aduentum praedicitur futurum, ut gentes ad Christum conuertantur, & terra repleatur scientia Dei, ut dicitur Isaia 11. & ut Ecclesia per vniuersum orbem diffundatur, iuxta illud Psalm. 71. *Replebitur maiestate eius omnis terra*, & illud Malach. 1. *Ab ortu solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus*, & alia multa, quae non nisi longissimo tempore impleri possunt, sicut re ipsa videmus impleta, partimque speramus implenda, ergo necesse est, ijs locis praedicti duos aduentus tempore distantes; erit ergo vnus primus, alter vero secundus. Quapropter (quod in priori tomo etiam admonui) cauendum est, ne quis decipiatur modo loquendi Scripturae, quae tempus vtriusque aduentus interdum vocat *nouum*, vel, quia totum tempus legis gratiae, quod à primo vsque ad secundum Christi aduentum protenditur, licet in se longum sit, & multis annis duraturum, tamen respectu aeternitatis est breuissimum, & veluti dies vnus. 2. Petr. 3. vel quia est vltimus status viatorum, in quo data est vltima lex Dei, cui non succedet alia, sed status aeternitatis, & ideo totum hoc tempus vocatur à Ioanne *hora nouissima* 1. Ioan. 2. In qua est vterque Christi aduentus: sed alter in principio, alter in fine eius, & ita erunt in tempore nouissimo, & in diuersis temporibus.

3. Differentia. Secunda differentia cum praecedenti coniuncta est in substantia (ut sic dicam) vtriusque aduentus, seu in mutationibus, quibus fient. Priorem aduentum factus est per substantialem actionem, vel mutationem, scilicet per Incarnationem filij Dei, & per humanam conceptionem, & generationem Christi, iuxta illud Pauli ad Galat. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere*. Nihil ergo aliud fuit, filium Dei mitti, quam fieri hominem ex foemina: ergo venire fuit concipi, & incarnari. Et hoc ipsum est quod praedixerat Isaia cap. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*, quod interpretatum significat, Nobiscum Deus. Quia per illam conceptionem, & partum ad nos venit Deus, quod propter certitudinem prophetiae, ut iam factum praedixit idem Isaia cap. 9. *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis*. At posterior aduentus fiet per solum localem motum, quod licet non sit tam expresse dictum in veteri testamento (Quantum enim interdum significetur hic aduentus per verba veniendi aut discendendi: tamen eadem reperientur dicta de primo aduentu, & ita possent aliter intelligi) sequitur tamen necessario ex ijs, quae dicta sunt. Quia postquam res aliqua substantialiter praedicta est, & existit, non fit corporaliter: & visibiliter praesens, ubi non erat nisi per localem aduentum: Christus autem supponitur iam existens Deus & homo, & solum per localem motum ab hoc inferiori mundo discessit quantum ad praesentiam humanitatis: ergo ut secundo adueniat, & fiat praesens, solum indiget motu locali. Atque ita potest optimè

haec pars confirmari illis Angelorum vocibus Act. 1. *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in caelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in caelum*. Sicut ergo in caelum iuit per solum localem motum (ut supra vidimus) ita per similem motum veniet. Haec ergo est secunda differentia inter vtrumque aduentum.

Tertia, ac praecipua est in fine. Nam prior aduentus respectu nostri praecipue factus est ad operadam nostram redemptionem, & salutem per meritum, & satisfactionem, & ad docendos illuminandosque homines per doctrinam, & exemplum: alter autem aduentus erit ad iudicandos homines, & retribuendum premium promeritis, & penam pro peccatis. Et hanc differentiam insinuat Christus Ioann. 3. dicens, *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum vni-genitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam, & rationem subdit, Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum: sed ut saluetur mundus per ipsum*. Quibus verbis expresse docet priorem aduentum, & causam eius: posteriori vero tantum insinuat, ac si diceret, venturus quidem sum, ad iudicandum mundum: tamen nunc non ad id veni, sed ad saluandum mundum, ut ibi indicat Chrysostom. homil. 27. & Iarui ibidem Euthymius exponit. Et de causa quidem prioris aduentus satis dictum est à nobis in prioritomo. Quod autem secundus futurus sit ad iudicandum, passim habetur in Euangelio, & in toto nouo testamento: ex quo multa testimonia adduximus. Et illa etiam, quibus ex veteri probauimus, Deum hominem esse qui venturus est in vtroque aduentu, conuincunt quoque in vltimo aduentu venturum esse ad iudicandum. Et ratio etiam id probat: quia postquam Christus in priori aduentu sufficienter homines saluauit, eisque prouidit de rebus omnibus ad promerendam salutem necessarijs, nulla alia ratio visibiliter veniendi illi superest respectu nostri, nisi ut bonos à malis separet, eisque condignam retributionem impertiatur. Et quoniam finis, qui prior est in intentione, prima causa est, & ratio executionis, ideo ex hac differentia in fine, orta est alia supra posita de ordine executionis, seu temporis. Decuit enim diuinam misericordiam (ut Chrysostomus à dicta homil. 27. in Ioan.) prius nos redimere, ac saluare, & gratiam praebere, qua bene viuere possemus, ut postea nos posset ex illicita iudicare. Nam (ut rectè dixit Gregor. homil. 30. in Euang.) *Certe vni-genitus Dei filius iudex est generis humani. Sed quis eius iustitiam ferret, si priusquam nos per mansuetudinem corrigeret, culpas nostras per zelum rectitudinis examinare voluisset? Homo ergo pro hominibus factus, prius voluit mansuete corrumpere, ut haberet, quos postmodum in iudicio saluaret.*

Quarta differentia, quae ex praecedenti consequitur, est in modo vtriusque aduentus. Nam prior fuit in carne passibili, & in exteriori apparatu humilis, & abiectus. Quia haec duae conditiones maxime erant consentaneae fini tam redemptionis, quam doctrinae, & exempli. Quae veritas manifesta est non solum in Euangelio, sed etiam in veteri testamento, praesertim in Isaia, & Psalmis, ut latissime in superioribus dictum est. At secundus aduentus futurus est gloriosus, tam quoad statum corporis impassibilis, quam in maiestate, & extremo comitatu, ut satis constat ex Angelorum verbis iam citatis, *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in caelum, & ex alijs verbis Christi Matth. 26. A modo videbitis, filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus caeli*. Quae verba suae responsioni Christus addit, ut Phariseorum tenebras depelleret, si seipsum vellent cognoscere. Cum enim princeps sacerdotum eum grauissima aduratione interrogasset, an esset Christus, ipseque respondisset *Tu dicis*, statim tacite eorum obiectioni respondens superior-

superiora verba subiungit, ac si diceret. Nec miremini, quod affirmem, me esse Christum, quia me abieci, ac infirmum hominem conspiciatis. Nam iterum venturus sum in gloria, & maiestate, & tunc me videbitis venientem in nubibus caeli. Degloria huius secundi aduentus frequentissima sunt Scripturae testimonia tam noui testamenti, Matth. 16. 24. & 25. Luc. 21. 1. ad Thessal. 4. 1. ad Cor. 15. quam veteris, Isa. 3. 66. & Dan. 7. & alijs supra citatis: atque eam latius descripturi sumus inferius. Disputa. penultima. De hac item differentia legi potest Augustin. sermone Dan. 7. 230. de tempor. vbi hoc ferè sensu, ait priorem aduentum fuisse occultum, alium fore manifestum, iuxta id Psalm. 49. *Deus manifeste veniet.* Hieronymus q. 11. ad Algas. Irenæ. libro 4. capit. 56. Tertullianus lib. cont. Iud. Theodor. in Epitom. c. de secundo aduentu.

Matth. 16.
24. & 25.
Luc. 21.
1. Thessal. 4.
1. Cor. 15.
Isai. 3. 66.
Dan. 7.

Augustin.
Hieron.
Tertul.
5. Differen-
tia.

Quinta differentia est in modo comparandi sibi regnum, & triumphum de inimicis suis. Nam in priori aduentu meruit omnibus angelis, & hominibus colorum regnum, & specialiter pro hominibus satisfecit, eisque regni ianuam aperuit, & ideo sibi promeruit supremum quoddam ac coeleste imperium, & claritatem, & sui nominis exaltationem. Quamuis autem tunc consequutus sit perfectum ius regni: tamen (vt supra dicebam) non statim obtinuit integram possessionem eius, nec omnino debellauit omnes inimicos suos. Dico autem integrè, quia ipse quidem statim in fine illius aduentus ingressus est in gloriam suam, Luc. 24. ibique triumphat, & regnat: nondum tamen omnibus dominatur. Quia neque in caelo adhuc completum est praedestinatorum regnum: neque in terra omnes illum venerantur, & obedirent illi. Nondum enim videmus omnia subiecta ei, vt dicitur ad Hebr. 2. Et ideo in fine illius prioris aduentus dictum est illi, *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* At verò de posteriori aduentu paulo inferius subiungitur, *Dominus à dextris tuis confregit in die ira suae reges, iudicabit in nationibus, implebit ruitas, conquassabit capita in terra multorum.* Quo metaphorico dicendi modo significatur, eum in posteriori aduentu acquiriturum perfectam regni possessionem. non iam illud merendo, sed re ipsa obtinendo, occupandoque, quod ante meruerat, ac potenti virtute ciues suos exaltando, hostes vero debellando. Et hoc est quod Paulus, ait 1. Corinth. ca. 15. *Oportet illum regnare, donec ponantur inimici sub pedibus eius.* Quod magis explicuit ad Hebr. 10. dicens. *Hic autem vnus pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei, de cetero expectans donec ponantur inimici sub pedibus eius.* Est ergo valde diuersa ratio obtinendi regnum prioris, & posterioris aduentus. Et hanc differentiam cum aliquibus ex dictis attigit Athanasius libr. de Incarnatione Verbi, eiusque corporali aduentu iuxta finem, dicens. *Simul te latere nolim alterum eius aduentum illustrem, & diuinum, non humilitate conseruabilem, sed gloria magnificum, in expectatione esse, atque imminere, cum non, vt patitur, rediturus sit, sed vt fructus suae crucis omnibus retribuat, immortalitatem videlicet, & resurrectionem, & incorruptibilitatem, neque vt iudicetur, sed vt iudicet.*

6. Differen-
tia.

Atque hinc consequitur sexta differentia in ijs, quae suntque aduentum consequuntur. Nam primus in hoc terminatus est, vt Christus absoluta peregrinatione sua, quam per primum aduentum inchoauit, in caelum redierit, & illic sedeat: non tamen nunquam rediturus: sed, donec ponantur inimici eius sub pedibus eius. Et quia haec victoria non erat futura corporum, sed animarum, & armis spiritualibus comparanda, ideo post insignem illum triumphum eiusdem aduentus, factum est, vt haec Christi victoria per vniuersum orbem praedicaretur, vt spirituale bellum aduersus Christi hostes potentio-

ri virtute gereretur, donec perfecta victoria ad exitum perduceretur. Et hoc est, quod in citato Psalm. 109. post praedicta verba subiungitur, *Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.* At vero post secundum aduentum nec bellum aliquod in terra supererit, neque Christus sedebit in caelo iterum in terram rediturus: sed perpetua ac stabili quiete illic regnabit, omniaque erunt subiecta ei, vt Paul. describit 1. ad Corinth. 15. & Daniel c. 7. & Ioannes Apoc. 12. 20. 21. & 22. & in fine huius materiae latius dicemus.

His addi possunt duae aliae differentiae, quas solum insinuo, quia pendent ex infra dicendis. Secunda ergo est in praecursoribus, quia praecursor primi aduentus fuit Ioannes Baptista (vt supra tractatum est) secundi autem erunt Elias, & Henoch, vt infra dicemus.

Octaua est insignis vtriusque aduentus. Nam signa prioris fuere, vel septuaginta hebdomadae Daniels, vel cessatio sceptri Iudaeorum, vel pax, quae futura fuit in vniuerso orbe cum alijs, quae demysterijs vitae, ac mortis Christi à prophetis praedicta, & in superioribus tractata sunt. At verò signa posterioris aduentus tam in veteri, quam in nouo testamento praedicta sunt longè diuersa, vt postea trademus. Constat igitur, duos esse Christi aduentus, & adhuc superesse secundum, illumque ad iudicium ferendum de hominibus futurum.

Dices: cum potuerit Christus absque corporali praesentia sua iudicium hoc perficere, & sententiam proferre, quid necesse fuit ad hoc munus obeundum in terram descendere? Respondetur, in primis hoc positum fuisse in voluntate eius vel humana, vel diuina, quae reuelata est, & nobis est ratio sufficiens. Possimus tamen congruentiam adiungere. Quia ex parte iudicandorum decuit iudicium in terra fieri, tum quia ille fuit locus pugnae, & viae, & quasi indifferens ad praemium, & ad poenam obtinendam. Tum etiam, quia cum inter iudicandos sint multi damnati, nec decuit illos in caelum deferri, vt ibi iudicarentur, nec in infernum, an aliquam iudicarentur. Fuit autem conueniens, vt omnes iudicandi simul adessent, vbi & videri, & audiri mutuo possent propter rationes in superiori Sectione adductas. Et hinc tandem concluditur, congruum fuisse, vt illic iudex praesens adueniret. Primum, vt ab omnibus iudicandis videri, & audiri posset absque inuitatis miraculis. Deinde vt hoc iudicium maiori quodam splendore, & maiestate fieret, qui iustis magnum solatium, & gaudium iniustis verò maiorem terrorem afferret. Denique vt vbi Christus de torrente in viam biberat, ibi caput exaltaret, & triumphum suae victoriae ostenderet in terra, vbi inique iudicatus fuerat.

Obiectio.

Responsio.

Psalm. 109.

SECTIO III.

In quo terra loco vniuersale iudicium futurum sit.

Ex hinc praecedentis Sectionis, atque ex articulo fidei colligimus, hoc iudicium futurum esse in terra, atque in determinato loco terrae, in quo corporaliter congregabuntur omnes homines iudicandi, & sententia Origenis tractat. 34. in Matth. hoc negantis fidei contraria est, vt iam vidimus. Quaestio ergo solum super est, in qua parte terrae futurum sit. Est enim multorum opinio, hoc iudicium esse futurum in valle Josaphat, qui medius interiacet inter Ierosolymitanam urbem, & montem Oliueti. Ita sentit D. Thom. in 4. d. 48. quaest. 1. art. 4. q. 4. quodli. 10. art. 2. & opus. 60. cap. vltim. Alber. eadem d. 48. art. 3. Palud. dist. 47. q. 1. art. 1. D. Anton. 4. p. tit. 14. capit. 11. §. 5. & hoc sequuntur Sotus, Carthus. & recentiores propter locum Joel 3. *Congregabo omnes gentes*

Orig.

D. Thom.
Albert.
Palud.

Antonin.
Sotus
Carthus.

Joel 3.